DE STHENOCARDIA ADIECTA MORBI HISTORIA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE IV. MENS. SEPTEMBR. A. MDCCCXXXIII.
H. L. Q. S.
PALAM DEFENDET
AUCTOR

CAROLUS AUGUSTUS GARBE
LUSATUS.

OPPONENTIBUS:
AUG. ZIMMERMANN, MED. ET CHIR. DD.
HENR. MARCARD, MED. ET CHIR. DD.
FRID. BOEGER, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

VIRO

CELEBERRIMO, ORNATTISSIMO

DIEFFENBACH,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, PROFESSORI EXTRAORDINARIO IN UNIVERSITATE LITTERARIA FRIDERICA GUILELMA; NONNULLARUM SOCIETATUM EDOCTORUM SODALI ETC. ETC.

FAUTORI SUMME VENERANDO:

NEC NON

PATRI OPTIMO

CAR. CHR. GARBE,

IUDICI IN CAUSIS PUBLICIS,

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Medici temporis recentioris imprimis auspiciis secundis usi sunt in exploratione morborum thoracis organorum: magni enim momenti erant quae Auenbrugger, Piorry et Laennec nova explorandi ratione comperere, praesertim in morbis cordis, quorum diagnosis difficillima nunc tamen minus ambigua facta est, ac saepissime cordis labores si aderant non cognoverunt medici antiquiores, et ipse pater medicinae Hippocrates, quamquam morborum cordis symptomata memoriae prodidit, et inter pessima enumerabat, caussis ex quibus oriebantur, quum extispitium deesset, ut credere fas est, ignarus erat. Sectiones enim cadaveris hoc tempore non solum inhonestae videbantur, sed sacrilegium habebant, Celsus etiam in libris de medicina, obductionem rejicit, jam sufficere credens, si medicus vulneribus in corpore casu ortis in anatomia edoce-

retur; quanta fueri illa scientia apud veteres satis Galenus exponit, discipulos Alexandriam mittens, ubi sceletum invenirent.

Si facta contemplamur, uti medicinae historia nobis praebet, quae, qua est scientia nostra hac de re, maxime apta sunt quae morbos cordis efficiant, saepius vim exserebant his in temporibus, quam in nostris coaevis; qua de causa ponere non possumus, quin antea non furuissent: causas exquirere ergo necesse est, quae tam diu has notiones prolatare poterant.

Primo anatomiae generalis notio fere deerat, cordis labores vero ad maxime fallaces et occultos pertinere inter omnes; exceptis qui ab initio inflammationes verae cum symptomatibus invadere solent, quae affectioni nervei systematis adscriberet medicus et eum perturbare conantur in diagnosi; tunc etiam fieri non poterat quin tantis de rebus proelium inirent, quam diu; quae Harvey enarravit, naturam sanguinis circuitus nondum nos certiores fecere.

Nec non scholae sic dictae medicinae satis obviam erant faustae diagnosi atque maturae, nam in tempore quod omnia dynamica, gas-

trica, et chemica stricte volebat, et omnia leviter ab una parte contemplabatur, nec methodus illa pernitiosa unquam relinquebatur, ex tali labyrintho media via nemini licebat.

Quod vero maximi momenti erat, anatomia pathologica, cui modo tempore recentiore locus dabatur, defuit, quae atria morborum, quasve in corpore humano mutationes constituerent, et symptomata quae inde sequerentur, interpres esset.

Inde patet, nunc tandem, quum functiones et natura sanguinis circuitus constarent, in medicina philosophia eclectica vim suam exsereret, nec naturae investigationes arceat, et anatomia pathologica suppeditata, diagnosin in morbis cordis oriri posse, in qua, quae valuit Auscultatio et Percussio, non rejicienda sunt.

Angina pectoris

etiam his morbis adnumeranda, qui pro dignitate quam vindicant non tam diu nobis noti sunt. Primus Heberden, Anglus, de eo nos certiores fecit; esse periodicum, maxime corpus invadentem, et periculosissimum nec tamen adeo rarum, ab aliis praesertim sejunc-

tum constrictione et anxietate in pectore, quibus ex causis anginae pectoris nomen vocabat. Butter anginosas illius molestias ex arthritide originem ducere credebat, sedem morbi in diaphragmate quaerens, arthritidem diaphragmaticam vocabat; Parry hoc de morbo verba faciens, symptoma reprehendens quod praecipue ex gravissimis cordis et respirationis organorum affectionibus trahendum, syncopen anginosam descripsit, qui labor perniciosus secundum affectiones, quae medico maximae arcessito videbantur, et aliis magis emicabant, variis nominibus appellatus et descriptus est: sic Darvin asthma dolorificum, Sluis sternodyniam syncopalem, phnigophobiam vero Swediauer vocabat; ut alia nomina commemorem: asthma convulsivum, asthma spastico arthriticum inconstans; sternalgia, asthma senile, tussis convulsiva adultorum (vid Richter Therap. spec. Tom. XI.).

Si morbi naturam describamus, primo opus est caussam morbi, symptomata instantis et orientis, tunc praesertim essentialia, et quae inveniebantur in extispitiis cognoscere. Causae quae sint, magna inter eos qui morbum descripserunt, dissentio est, quam alii

aliis cum symptomatibus concomitantibus, alii, alia in extispitio viderunt; quid mirum! quisque ex ordine medicorum ex his originem duxit, quibuscum saepissime morbum conjunctum animadvertit.

Non semper sectiones eandem nobis praebuerunt imaginem; interdum plane in integro in corporibus cor et pulmones erant, organa vero abdominis magnam mutationem iniere, ut quidem referunt qui se hunc morbum observasse contendunt; maxime intumefacta inveniebantur, imprimis hepar, cujus physconia aderat: hoc in casu labores pectoris plane secundarii eorumque irritatio ab aliis organis affectis dependeret, partim causa mechanica, si cordis motum finibus angustioribus concludere possit, alicujus momenti ad morbum procreandum, magis vero dynamica, stagnatione et impedito circulo sanguinis, quam spastica affectio sequebatur, quod etiam si cor illis impedimentis mechanicis coërceretur, eveniret, idem fere accusarem his in casibus, qui nil nisi hypertrophiam in abdomine oculis praebebant, praesertim omenti, et magnam venositatem; in quibus vero nil nisi aucta venositas reperiebatur, phaenomenis secundariis

adnumnerarem. Interdum leviores etiam anginae pectoris impetus in hypochondriacis et hystericis inveniuntur: hic nervorum affectio maxime valet, quae tamen etiam causas materiales, quae ut fieri potest hypochondriam provocant, sequi potest.

Sed exceptiones habentur talia, semper fere de vitiis organicis cordis mentionem fecere qui viderunt, quae si adsunt non tamen omnino atrocissimum morbum intrare jubent, nam saepenumero in cadaverum sectione majorem videmus in pejus mutationem cordis, quod nunquam aegrum esse se manifestavit, quam in quibus satis certa diagnosis praestabat. Sunt haec vitia, quae caussae morbi fuisse videntur in extispitio, dilatationes cordis et vasorum majorum, indurationes ostiorum, quae coarctata, ossificatum pericardium, ossificationes ullius cordis partis, cor modo mollefactum modo hypertrophicum, praesertim vero ossificationes arteriae coronariae cordis cujusque lateris, sive textura morbosa illius arteriae cartilaginea, sive lumen ejus diminutum vel clausum, quod plures solam causam morbi esse voluerunt.

Quae omnia circulum sanguinis vexant

atque impediunt. si enim ad pulmones non satis bene sanguis admovetur, si cor, quod recipiat ex venis pulmonalibus, impeditur, si commutatio venosi in arteriosum perhibetur, si stagnationes hac de causa oriuntur, et aucta venositas, fieri non potest quin nervenm systema laedatur: si vero in arteriis coronariis quod jam indicavi inest, id maxime valebit; nam cor ab his modo arteriis nutritur, nam quanquam ex ventriculis sanguis prodit, ab hoc ne guttulam quidem cor consumere potest; initium capiat inde oportet atrophia cordis, quam sequitur neurosis.

Incedit enim morbus, quo modo exponam: homines praecipue robusti, pingui abdomine, colore rubro in facie, nec non mente alacri, jam diutius priusquam aegrotant, dolores interdum queruntur in trachea et pectore, quasi funiculo coërcerentur, respiratio dolorifica tamen inspirationem profundam non defendit, sensus interdum adest quasi molis ingentis in pectora decidentis, aut quasi sternum columnae vertebrarum admoveretur; hypochondria, quae etiam prodromis symptoma adnumeratur, saepius etiam adest in intervallis quae labor instituit, quae tamen misero non

tanti momenti videntur, ita ut medicum irrideat si magnum iis tribuat; interdum etiam vera hypochondria comes et signum morbi pathognomonicum habetur. Ab initio paroxysmi caussis vix carentes incedunt, post animi affectum, nec nimiae corporis intentioni desunt, praecipue corripiuntur in cursu ventis adversis atque qui se vertant coguntur; tanta autem fit percipiendi facultas, ut etiam motus artuum passivus impetum procrearet; si saepius jam adfuere vix causae occasionales cognoscendae, vix fortasse magna iis opus est, attamen digestio consumptorum aliquid valere, nec non tempus diurnum et nocturnum videtur: si causas non videmus saepius nocte quam die paroxysmi adsunt.

Si paroxysmus ipse incedit, uberiora fiunt symptomata: sentitur instante impetu maximus angor, quasi pessima facinora, ut interdum dicunt commissa lugerent, quasi everterentur et diem supremum certe obirent: fames aëris, quamquam haud exigua illius pars a pulmonibus excipitur, tamen aegrotos deficere videtur, late os aperiunt reclinantque caput aut mentum, anxii in pectus nituntur, symptomata inter se valde varia, cujus prius ma-

gis in morbis cordis sinistri, alterum in dextri morbis invenire solemus. Dolorem in sterno fodientem modo in superiore, modo inferiore, interdum in medio, dolorem fixum in papilla mamillari, qui usque ad id augeri potest, ut aegroti laciniis vel dente canino laceratos se credant, in humero ac dorso trahentes dolores, una cum artuum dedolatione queruntur, praesertim brachium sinistrum accusantes maxime affectum, dolores enim a sterno et humero incipientes nervum ulnarem non raro sequuntur usque ad fines. Eodem modo, sed rarius etiam dextra et pedes corripiuntur, interdum etiam collum, mandibula, usque ad aures una cum dolore oesophagi constringente. Nonnulli laborem incipientem in extremitatibus, dolorem oscillantem, tremulum indigitant, qui ad pectus pertinet, si maxime augetur vox impedita sive deficiens, sudor frigidus totum corpus obtegit, gelidus extremitatum frigor, facies pallida et collapsa, caeruleo-rubescens si summum tangit acumen; et aucta venositate pulsus spasticus et irregularis, et impetus cordis ita diminutus vel oppressus, ut vix sentiri queat, coguntur aegroti qui ad punctum fixum manus admoveant, vel supra

caput projectant brachia quasi se suspenderent, aut humerum acclinant deorsum parieti, aut quieti plane se dant. Nausea et vomitus ac tussis, quae adesse possunt, minus miserum augunt. Nec illaesum permanet sensorium: gravitas capitis, visus aliquoties impeditus nec non audiendi facultas: symptoma quod saepenumero mors ipse sequitur, syncope vocanda est: ructus et flatus sub finem paroxysmi meliorem reddunt conditionem, et fallaci spe, cum reconvalescentiae imagine, aeger gaudet, et nullum morbi indicium restat nisi fere hypochondriasis et leviores ex laesa organisatione prodeuntes abnormitates in motu cordis. Sed proh dolor! tempus intercalare sequuntur novi paroxysmi cum acerrimis nervei systematis affectionibus, spasmi, vertigo, neuralgiae et congestiones, subsultus tendinum, quae quidem inveniuntur nisi exitus lethalis, saepissime tamen ad diem supremum hominem perducunt.

Ex variis causis angina pectoris certe oriri potest, quum vero semper laesio organorum inveniretur, quum ex omnibus symptomatibus pathognomonicis eluceat, cor ejusque functiones aliis cum organis, praesertim cum

pulmone non convenire, aut cor dextrum cum sinistro, eas maxime valere crederem abnormitates, irritationesque nervorum secundarias esse. Eo facilius nexus organorum impediri potest, quo majora vitia in corpore organica, ideoque haud mirum, quod in plurimis sectionibus arteriae coronariae laesae fuerint; vix enim alius morbus magis pernitiosus esse possit vitae actionibus.

Eo magis terribilis morbus nobis apparet, quod plerumque multorum annorum sibi eligit decursum ad finem deplorandum, quo quidem nostra sententia fere semper insignis.

PROGNOSIS.

Si sthenocardia in leniore gradu symptoma pathognomonicum habetur hypochondriae sive alius morbi vitam non aggredientis, bona sit prognosis; quum vero non satis bene cognoscendae causae, et timendum est ne mortuus plura nobis quam poterat vivus dicat, dubiam hoc in casu proponam. Omnino vero mala, si satis manifesta symptomata adsunt vitii organici ullius ex partibus affectis, quum causae non removendae, et spes dubia, an earum effectum impediamus, impri-

mis quum syncope in angina pectoris magis periculosa quam in aliis morbis censenda.

CURA:

Rationalis modo instituenda, si causae cognitae; radicalem causae praedisponentes in graviori morbo non sinunt.

Heberden quietos in loco calido esse jussit, interdum vino vel aliis analepticis impetum nocturnum arcebat; laudat etiam ex narcoticis Opium, quod noctis irritationes depellat.

Parry diaetam blandam et methodum antiphlogisticam instituit, in tempore intercalari in usum vocans ulcera artificialia et, si basis arthritica adesset, rubefacientia ad extremitates, quae derivent, sic aegrum exiliorem reddere vult, credens ossificationes arteriae coronariae ex phlogosi sanguinis auctoque impetu ad cor originem ducere; in paroxysmo vero, si debilitas maxime aucta est, nervina.

Jurine oxygenium nisi phthisis adest laudat et in adhibendis antispasmodicis usque ad heroes intendit, addens linimenta volatilia et moxam.

Baumes, acidum phosphoricum ministrans, se ossificationes sanasse contendit: calcariam carbonicam in vitro, adjecto acido illo resolvi constat, sed tantam vix credo affinitatem illorum, ut ossificatio ingestum consumat ad solutionem, quanta copia illius remedii consumatur, si talia eo effici ratio sit! si efficacissimum illud aliquid valebat, majorem provinciam acido minerali in nervos, systema sanguiferum, adscriberemus et fortissimo phosphoro, nervino, si enim tonicum tantae dignitatis atque analepticum, quod ceterum digestionem minime laedit, bene adhibetur, vix chemica illa vis ad calcariam carbonicam respicienda est.

Butter derivantia, aromata, excitantia, et aquam mineralem laudat, quae aliquid valeant, quum fortia sint in morbis nervosis, et tali modo symptomata mitigent; quod de balneis frigidis commemoravit, ad eadem attinet, sed anceps mihi videtur remedium, quum characteri minus conveniat; aegrum aliis uti regionibus et climatibus suadens, fortasse ab animi bona valetudine aliquid sperandum in corpus corrigendum censet, quod maxime laudandum: nam sana mens plus valet in cor-

pore vili quam copia ingens praescriptorum; respexit forte climatis calidioris bonum eventum in casu complicato, ut phthisin commemorem, fortasse mortuum non ipse in funeribus sequi voluit augur.

Elsner inter antiarthritica, (nam arthritidem esse anginam,) amara, antimonialia, sapones cum rheo, nervina enumerat, quibus tamen alia etiam inest potentia quam vocat, et si prosperum vidit eventum, plane non dicam naturam morbi cognovisse: nec non praescribit fortissima antispasmodica, quae sumat aeger in paroxysmo una cum excitantibus localibus, quae derivent.

Alia praestabit in tempore intercalari, alia in paroxysmo cura, quae tamen semper fere palliativa erit. Praestant in tempore, quo non vexatur homo, ne nimis afficiantur organa, tam vegetabilis systematis quam nerveum, praesidium, requies, diaeta blanda, motiones corporis, quantas poscit natura, sed lenes magisque passivae; sit hostis Veneris et Bacchi. Quae tamen non sufficiunt, semper bene spectandum, quomodo quoque tempore valeat, et ad id cura instituenda; adhibeatur methodus paululum antiphlogistica, si morbus

novum impetum minatur; si ab suppressione ortus videtur, derivans vix auspiciis adversis utatur, etiam si caussas removere nequeat, tonica quae non calefaciunt, acida mineralia ita ministrari possunt, ut digestio non laedatur, tunc aliquid faciant corpus fortius reddentes, nec tamen irritantes. In dosi minori adhibita narcotica in casu defendam, quo prodromi periculum novi paroxysmi indicant. Si vero novus jam adest, non dubitem, quin fortissima sint adhibenda, quae tamen quoque in casu secundum individualem, quae praestant, constitutionem aegri et characterem morbi modificentur.

Praestat ante omnes in morbis cordis herba digitalis, quae etiam in hoc in usum vocata est; non raro cum antiphlogisticis, cum nitro in pluribus efficax erat. Nervina et excitantia, quae meliorem reddant valetudinem, tamen, si syncope adest vel aderat, non statim instituenda sunt: cor enim versans in agonia excitatur quidem, sed mox, proh dolor! in statum torpidum recedit et vix ejus industria demuo provocari possit. Laudatur vero venaesectio exploratoria, si periculosissimus est status morbi, nihilominus, si pulsus con-

tractus et parvus est, sed nisi fortior fit, plane rejicienda.

Saluberrimum magnetem Laennec se adhibuisse protulit, polum in latus sinistrum pectoris imponens, alterum ex adverso in dorso, quae vis magnetica adhuc augeatur, si in ulcere artificiali, aut una cum acupunctura instituatur. Alii non tam prosperum eventum viderunt, quam Franco Gallus.

HISTORIA MORBI.

1. Anamnestica quaedam.

J. K. juvenis annos circiter viginti quattuor natus, corpore magis tenui quam valido, parentibus non quidem robustis, tamen satis secunda per vitam gavisis valetudine. Hic neonatus primos vitae annos hydrocephalica affectione vexatus peregit, saepiusque vitae periculum obiit, nunquam tamen succubuit; post, ex sexto vitae anno scrophulosis eum invasit interdumque eum satis vehementer affecit. Tandem annos quindecim natum affines eum liberatum putabant, cum ex inopi-

natu novum malum vehemens certe et memorabile accessit.

Incepit enim saepius et plerumque sine caussa satis manifesta ex digitis manuum pedumque sensus formicationis, quem mox insecutus est artuum frigus et immobilitas, quibus aegroto apparuit extremitates esse emortuas; haec affectio incedebat potissimum partem corporis laevam. Ex aegroti opinione originem ducebat hoc malum ex vehementi in caput lapsu.

Increvit hoc malum, cum aegrotus mox id negligeret; adfuerunt enim satis longae intermissiones et per hebdomades vix semel bisve infestabatur.

Mox jam in paroxysmis animi non satis compos apparuit, nec raro impetus vi praecipitabatur aegrotus.

Tali modo per plures annos infestavit eum hoc malum, partim gravius partim levius incedens: dum medicorum legio id inter nervosos ponebat morbos.

Mutato tandem ex medicorum consilio domicilio aliam sane sed proh dolor! graviorem sibi elegit speciem malum, nam plane epilepsiam imitatum est; tamen postquam per men-

ses sex cruciavit aegrotum, deseruit eum et novem menses debilitatus quidem, tamen omni morboso symptomate cordis, palpitatione jam vetere amico excepta, plane liber peregit: cum subito morbus inciperet, de quo hoc loco sermo nobis est.

DIAGNOSIS.

Et in hoc morbo ex digitis pedis sinistrae incepit formicatio mox ascendens brachiumque hujus lateris arripiens tumque in pectoris cavum descendens: hoc loco primo die sensum vehementissimae pressionis et gravitatis adduxit planeque ephialtem imitatus est, a quo tamen incredibili vehementia palpitationis cordis differebat, post anxietas certe non levis et respirandi difficultas incedebant. Putabat aeger totum malum advocatum esse indigestione: erat pulsus parvus duriusculus aut si mavis vehemens simulque frequens. Postquam duas horas induraverat, reliquit malum aegrotum insecutusque somnus satis profundus sudoreque magno totius corporis insignis.

Diem insequentem satis quietus peregit, tamen tristis et omnia irritamenta externa de-

pellens; sic lucem, cibos, sermocinationem amicorum et alia. Sub vespertinum tempus anxius apparuit, jubebat saepius, quamquam tristi tempestate, aperiri fenestras; et ex intimo animo petiit ex amicis, ne eum relinquerent, cum sine dubio diem supremum obiret. Nocte tandem eodem modo sed multo vehementius apparuit paroxysmus. Orthopnoeae maximus gradus, ita ut aeger in lecto sederet, capite resupino, ore plane aperto, brachiis expansis talique modo pectus amplificantibus, facie pallida, corde vehementer pulsante, ita ut audire posses palpitationes, etiamsi nonnihil ab lecto adstans, carotides vi quodam sanguinem emittentes. Extremitates frigidae, pulsus ob vehementem corporis motum vix sentiendus, parvus et vehemens simulque frequens; questus est aeger dolores acerbos in sinistra pectoris parte, lancinari ei videbatur cor. Tali modo cruciabatur per horas quattuor, tum ingens flatuum copia insecuta eum liberavit, somnus satis profundus cum sudore uberrimo totam actionem finivit.

Hac ratione post ter rediit paroxysmus, tunc mitigatus est, omnino tamen tandem eva-

nuerunt accessiones post tres hebdomades cum febris nervosa satis aperta insequeretur, quae tandem die quarto decimo sudore crisin adduxit aegrotumque viventem quidem, ast proh dolor tantum umbram nobis reliquit, quem certe mors praematura exspectat.

Si symptomata hujus morbi cum anamnesticis comparamus, dubium certe non esse potest, quin aeger noster angina illa famosa pectoris laboraverit, cujus certam quidem causam lectori tradere non possumus; at ex palpitatione nunquam intermittente; ex respiratione semper brevi et unamquamque corporis vehementiorem intentionem vetante; ex mirabili illa formicatione insequente epilepsia equidem libenter putem adesse cordis morbum certe organicum; quibus addas pulsum semper esse intermittentem simulque haud mediocriter irritatum, ita ut arteriam coronariam oris jam procul pulsantem videre possis.

Prognosticon certe non optimum aegroto dare possumus; putamus eum mox redintegrato anginae impetu defuncturum.

THERAPIA.

Jam post primum paroxysmum instituta

est venaesectio librae unius, cum pulsus irritatus et vehemens id sibi posceret, simul hirudines viginti pectori impositae palpitationem et anxietatem haud mediocriter levabant. Secundi paroxysmi acerbitati obviam facti praescripsimus:

Liq. C. C. succinati
Aeth. acetici aa ʒj

D. S. Guttas octo per horae quadrantem.

Postque cum minus valere videretur:

Moschi genuini gr. IV.
Elaeosacchari Valerian. gr. XV.
Dentur tal. dos. IV.

S. per horae dimidiam partem unam dosem.

Sal anglicum odoriferum in syncopalibus affectionibus, epithemata calida ex speciebus aromaticis, frictiones extremitatum haud parvo levamini aegroto erant. Tempore intermissionis cum jam satis certa diagnosis nobis appareret, praescripsimus:

Hb. Digital. ℈ß
Infunde cum
Aq. fontan. s. q.
ad Colatur. ℥vj
Adde
Kali nitrici ʒjj
Aeth. acetic. ℈j

D. S. Omni hora cochlear majus.

Huic potissimum remedio tribuo auxilium in hunc vehementem morbum, postquam enim apparuit febris illa ex digitalis usu mota cum pulsu illo memorabili, remiseruut paroxysmi.

Hoc modo per omne morbi tempus curavimus; post imminuimus digitalis dosin tartarumque stibiatum hac in formula addidimus:

Hb. Digitalis ℈j
Infunde cum
Aq. fontan. s. q.
ad Colatur. ℥vjii
Adde
Tartari stibiat. gr. jii
Aeth. acetici ℈j

M. D. S. Omni bihorio cochlear majus.

Febris nervosa post incedens, emeticum, Valerianae cum Serpentariae infusum, Chinae decoctum cum Acidis mineralibus sibi postulavit; quae minus hunc ad morbum pertinent.

VITA.

Natus sum, ego, Carolus Augustus Garbe, Lubenae, die trigesimo Januarii mensis, anno MDCCCX, a patre Carolo Christiano, judice in causis publicis, et ex matre Eleonora Augusta, e gente Matthaei, parentibus dilectissimis adhuc vivis. Confessioni evangelicae addictus, primis imbutus sum disciplinis Lubenae, tunc Gymnasia frequentavi Luccaviense et Altenburgense per annos sex cum dimidio, quo tempore praeterlapso anno MDCCCXXIX civibus Instituti medico-chirurgici Friderici Guilelmi adscriptus sum, ubi per quadriennium studio medicinae et chirurgiae incubui, virosque illustrissimos audivi.

Interfui praelectionibus philosophicis Cel. Wolff; de physice, chemia et pharmacia Ill: Hermbstaedt et Cel: Turte; de botanice, toxicologia et historia naturali Ill: Link; de encyclopaedia et methodologia medica, de entozois, de anatomia universa, organorum sensuum et foetus humani, de physiologia Beat. Rudolphi; de osteologia, syndesmologia et splanchnologia Ill: Schlemm; de arte cadavera rite dissecandi Beat. Knape nec non Rudolphi; de arte formulas concinnandi et de medicina forensi Cel: Casper; de physiologia Cel. Eck; de pathologia generali, de semiotice, de therapia tam generali quam speciali Ill. F. Hufeland; de pathologia speciali, de morbis syphiliticis, de morbis mentis Ill: Horn; de materia medica et de fontibus medicatis Ill: Osann. In studio chirurgiae generalis, de ossibus fractis ac luxatis, in arte fascias imponendi ab Cel: Kluge imbutus, nec defui praetectionibus de arte obstetricia, de acirurgia virorum Cel: Kluge et Juengken, cujus interfui discispulis in chirurgia speciali, in ophthalmiatrice et ejus clinicis exercitationibus. Celsi de medicina libros et Hip-

pocratis aphorismos Cel. Hecker mihi interpretatus est.

Exercitationibus clinicis interfui medicis Ill. Bartels et Cel. Wolff, policlinicis chirurgicis Ill. Rust, de Graefe et Cel. Trüstedt.

Jam vero tentamine philosophico nec non medico et examine rigoroso superatis spero fore, ut summos honores in medicina et chirurgia consequar.

THESES DEFENDENDAE.

---

1. *Nullus medicus nisi etiam chirurgus.*

2. *In hydroceles operatione cultrum praefero.*

3. *In ulceribus sanandis summum valere formam specificam.*

4. *In angina pectoris affectionem nervorum non esse primariam.*
